



Universitätsbibliothek Paderborn

**Venerabilis Thomæ A Kempis Can. Reg. S. Augustini. De
Imitatione Christi Libri Quatuor**

Thomas <von Kempen>

Augustæ Vindel., 1772

Caput XV. Qualiter standum sit, ac dicendum, in omni re desiderabili.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45780](#)

176 *De Imitatione Christi*

Absorpta est omnis gloriatio tua
in profunditate judiciorum tuorum
super me.

4. Quid est omnis caro in conspe-
ctu tuo?

*Nunquid gloriabitur lutum contra-
formantem se?*

Quomodo potest erigi vaniloquio
cujus cor in veritate subjectum est
Deo?

Non eum totus mundus erigit,
quem veritas sibi subjecit; nec on-
nium laudantium ore movebitur, qui
totam spem suam in Deo firmavit.

Nam & ipsi, qui loquuntur; ecce
omnes nihil; deficient enim cum
sonitu verborum: *Veritas autem Do-
mini manet in æternum.*

C A P U T X V .

*Qualiter standum sit, ac dicendum, in
omni re desiderabili.*

1. **F**ili, sic dicas in omni re: *De
mine, si tibi placitum fuerit
fiat hoc ita.*

Domine, si fuerit honor tuus, fiat
hoc in nomine tuo.

Domine, si mihi videris expedire,
& utile esse probaveris; tunc dona mihi
hoc uti ad honorem tuum.

Sed si mihi nocivum fore cognoveris, nec animæ meæ saluti prodefse, affer a me tale desiderium.

Non enim omne desiderium est a Spiritu sancto, etiam si homini videatur rectum, & bonum.

Difficile est, pro vero judicare, utrum spiritus bonus, an alienus te impellat ad desiderandum hoc, vel illud: an etiam ex proprio movearis spiritu.

Multi in fine sunt decepti, qui primo bono spiritu videbantur inducti.

2. Igitur semper cum timore Dei, & cordis humilitate desiderandum est, & petendum, quidquid desiderabile menti occurrit: maximeque cum propria resignatione mihi totum committendum est, atque dicendum:

K 5 Do-

ti
tio vina
tuorum
consp
n contr
niloquo
ctum e
s erig
nec on
pitur, q
rmavit
r; ecu
im cum
ntem D

ndum, i
re: Dr
n fuerit
Do-

Domine, tu scis qualiter melius est: fiat hoc, vel illud, sicut voluntueris.

Da quod vis, & quantum vis, & quando vis.

Fac mecum sicut scis, & sicut tibi magis placuerit, & major honor fuerit.

Pone me ubi vis, & libere age mecum in omnibus.

In manu tua sum; gyra, & reverfa me per circuitum.

En servus tuas ego, paratus ad omnia: quoniam non desidero nisi vivere, sed tibi; utinam digne & perfecte.

ORATIO.

Pro beneplacito Dei perficiendo.

i. **C**oncede mihi benignissime Jesu gratiam tuam, ut mecum usque in finem perseveret.

Da mihi hoc semper desiderare & velle, quod tibi magis acceptum est, & charius placet.

Tua

Tua voluntas mea sit: & mea voluntas tuam semper sequatur, & optime ei concordet.

Sit mihi unum velle, & nolle tecum; nec aliud posse, velle, aut nolle, nisi quod tu vis, & nolis.

2. Da mihi omnibus mori, quæ in mundo sunt: & propter te amare contemni, & nesciri in hoc seculo.

Da mihi super omnia desiderata in te requiescere, & cor meum in te pacificare.

Tu vera pax cordis, tu sola requies: extra te omnia sunt dura, & inquieta: *In hac pace in id ipsum, hoc est, in te uno summo æterno bono, dormiam, & requiescam.*

C A P U T XVI.

*Quod verum solatium in solo Deo est
quicrendum.*

I. **Q**uidquid desiderare possum, vel cogitare ad solatium meum, non hic expecto, sed in posterum.

Quod si omnia solatia mundi solus